

523 Tergeste sub fenestra D. Paduini in *Piazza piccola* gemini lapides (immo unus CROCE) muro inserti similiter inscripti SCUSSA, CROCE.

EX · RESPONSO  
ANTISTITVM  
PROSPOLOIS  
C·LVCANVS·SEVERVS  
PRO  
L · LVCANO · FILIO

Scussa syll. n. 12; Schönleben 1, 225 a Scussa; della Croce p. 212 et a Scussa et ex lapide. Ex Crocio Mur. 174, 7 (cf. praef. p. 66); Carli 2, 314; Mainati 1, 1, 344; Labus *Wiener Denkschr.* 1, 342; Orelli 2202; ex eodem, non, ut ait, ex Tomitano Kandler n. 20.

1 LX Schönl. et Scussa teste Crocio; EX Scussa Kandleri et sic ex lapide Crocius. — 6 C · LVCANO Scussa Kandleri. — De sinceritate dubitare neque testimonia sinunt neque Lucanum nomen quod redit in aliis Tergestinis. Nec nimis offendit verbum mysticum *προσπόλων*, id est ministrorum sacrorum, sed ex numinum magis quam ex hominum numero, Graece declinatum in titulo Latino.

524 in lapide longo ped. 2, largo ped. 1, Tergeste *nel muro della corte che corrisponde alla strada pubblica della casa di Dan. Blagusigh* SCUSSA.

SILVANO  
CASTRENSI

Scussa ms. Marc. p. 30, ms. Kandl. p. 14, ed. p. 24. Inde pendent reliqui: della Croce p. 197. 565; Carli 2, 138; Labus *Wiener Denkschr.* 1, 341; Kandler n. 17.

Uno v. Croce eiusque exscriptores.

525 Titulum hunc, qui omnium Tergestinarum primus innotuit, habemus integrum ex exemplo novicio cum subscriptione in ipso lapide apposita hac: *Fri(dericus) ter(tius) Ro(manorum) imp(erator) dux Aust(riae) et c(etera) d(ominus)q(ue) Tergesti IIII vice muru[m] reedi[fi]cari iussit.* Fridericus ille imperator factus a. 1440 Tergestina moenia a. 1470 refecit; idem constat antea fecisse a. 1419 ducem Ernestum, cuius nomen primum ibi fuisse pro Friderico Cicogna acute conicit, cum praesertim Fridericiana inscriptio cernatur in litura restituta. Videntur autem qui haec scripserunt ita rem animo informasse, ut iterum Caesar Augustus moenia Tergestina refecerit, tertio Ernestus, quarta vice Fridericus. Titulus igitur, ad quem hunc expresserunt, cum eruderatus esse videatur c. a. 1419, recte convenit, quod recens exemplum exhibet iam Marcanova c. a. 1460. — Novicium exemplum collocant Tergeste super portam S. Laurentii TOMIT. BEMB. BELL.; Venetiis in domo Francisci Capello equitis [qui a. 1509 Tergeste expugnavit] in rivulo divi Marci SANUTUS f. 49; V. in domo Francisci Michaelis patricii GRUT.; V. in atrio domus mercatoris cuiusdam GUD.; V. apud S. Iohannem in Oleo in aedibus Io. Bapt. Allegri ASTORIUS. A. 1828 dono Antonii Molin transiit in bibliothecam S. Marci. — Postea exempli vere antiqui sive eiusdem, quod eruderatum est saeculo XV, sive alterius, prodierunt fragmenta duo. Maius (v. 1. 2. 3 extr.) eorum repertum est a. 1838 Tergeste ad SS. Martyrum ecclesiam KANDL. LAB. extatque hodie in museo. Minori (v. 3 init.) 'in sasso bianco sopra di una casa di corte di Cavana' praescribit SCUSSA; hodie desideratur. — Fraude Polae tribuit VERGOTTINUS.

IMP · CAESAR · COS · DESIG · TERT  
III · VIR · R · P · C · ITER  
MVRVM · TVR · RESQVE · FECIT ·

n. c. 721

Contuli partem quae sola ex antiquo titulo hodie superest continentem v. 1. 2. 3, quam reperies etiam in tabula Ritscheliana vol. I. LXXXIV G; quae non habemus nisi ex Fridericiano exemplo (quod expressit idem Ritscheli tab. LXXXVI E), dedi litteris inclinatis. — Integrum titulum exhibet in Tergestinis iam Marcanova (Bern. n. 460, Mutin. f. 185') cum asseclis suis Ferrarino Regiensi f. 147' et Iucundo f. 161. Sequitur Antiquus, a quo pendent Felicianus (Marc. n. 15, Ver. n. 12); Redianus f. 142 Terg. n. 3; Stoschianus f. 103; Sanutus f. 145 Terg. 2; Sieder n. 3; Gammarus f. 159'; Lilius f. 151 (inde Reines. 2, 86 ex Langermannianis); Marulus n. 77; Tomitanus f. 4' n. 15 et in App. f. 14 n. 45; Bembus f. 102'; Bellonus n. 9' et 17; neque aliunde Volaterranus comm. urb. ed. Basil. 1530 p. 43; Apianus 354, 1 (inde Lazius r. r. p. 1204; Panvin. Rom. p. 746, fast. ad a. 721; Smetius 144, 8); Manutius cod. Vat. 5248 p. 21 ex libro Paulli Rannusii; della Croce p. 105. 275 a prioribus; Vergottin Pola p. 20 (inde Kandler n. 188). Postea Venetiis descriptam referunt Sanutus f. 49'; Grut. 166, 6 a Bened. Georgio patricio Veneto; Gud. ms. 773, 2, ed. 73, 10 qui vidit; Astorius inscr. Venet. ms. (cod. Marc. Lat. 14, 200) f. 2'; Kohen *archeogr. Triest.* 1 (1829) p. 79; Cicogna *iscr. Venet.* 2 (1827) p. 197, qui aere expressit optime; Labus *Wiener Denkschr.* 1, 355; Kandler Istr. 1846 p. 353. 1847 p. 322, syll. n. 35; Orelli 595, qui post Scaligerum et Maffeiū male damnavit; Valentinelli *mus. arch. della Marciana* (1866) p. 161. Ex his Friderici III quoque titulum adiecerunt Sanutus et Gruterus integrum, imminutum Gudius et Labus. Rettulisse autem omnes hos auctores idem quod hodie Venetiis servatur recens exemplum neque ulli copiam factam esse archetypi declarat lectio Rediani et Stoschiani ITERV, Tomitani et Belloni ITERV3, quae aperte fluxit ex recens facto exemplo sic scilicet comparato:

IMP · CAESAR · COS · DESIGN  
TERT · VIR · R · P · C · ITERV3  
MVRVM · TVRRESQVE · FECIT

Quamquam id scriptum est litteris ad Romanarum similitudinem sculptis, non barbaris iis, quas prae se fert titulus Fridericianus (cf. Ritschl in *mus. Rhen. novo* 14, 139). — Fragmentum archetypi, quod hodie in museo extat, exhibent *la Fatella, giornale Triestino*, d. 30 Sept. 1838; Labus l. c. 1, 356; Kandler syll. n. 35 (cf. *espl.* n. 1 p. 4). — Alterum servavit Scussa in codice Kandleriano p. 12 margini adiectum et syll. n. 30, ed. p. 21 (inde Labus l. c. 1, 357 et Kandler l. c., qui citat praeterea Tomitanum errore).

Caesar consul iterum factus est a. 721, consul tertium a. 723; triumvir r. p. c. iterum fuit ab a. 717 ad a. 721; quibus consideratis apparet titulum non convenire nisi anno 721, quo praeterea constat Caesarem moratum esse in Illyrico et debellasse Dalmatas. Consulem iterum propterea opinor non adscripsit, quod eos fasces ipsis k. Ian. deposuit itaque quo tempore titulus positus est, iam non fuit in magistratu.